

1789.

18. Puchmannus, Ins. Lind. inv.; fac. j'm. pro cancellaris:
Miscellaneorum ad j's perlinentium specimen X.
Programma, quo sultensis Australis Trans Victoriae
Bastetae indicat.
19. Puchmannus, Ins. Lind. Bay; fac. j'm. pro cancellaris:
Miscellaneorum ad j's perlinentium specimen X.
Programma, quo sultensis Australis Cireb. Foveae
Curtis indicat.
20. Puchmannus, Ins. Lind. inv.; fac. j'm. pro cancellaris:
Miscellaneorum ad j's perlinentium specimen VIII.
Programma, quo sultensis inaugaralia Joannis
Horni Luttekei indicat.
21. Puchmannus, Ins. Lind. inv.; fac. j'm. pro cancellaris:
Miscellaneorum ad j's perlinentium specimen VI: Program
ma, quo sultensis inaugaralia Adalphi Worcester Schrift
indicat.
22. Puchmannus, Ins. Lindor. Insulæ: de Nibichinae
inter animum occidentis directione ob indirectam
e j's prudenter Crimuli circumflexa.

1789.

23. Richter, Christ. Euseb: De servitate a proprio
lati domino fatus pueris imponenda ad
115 Bull. 1. 16 et 117 pr. 8. de unipacto. 26
24. Rosenmüller, Dr. Georg, pres. prescelarius:
De fatis interpretationis sacrae litterarum in
ecclesia Christiana. Programma, quo saltem in an-
gustia Gottuli Augusti Baumgartner Crucis in-
dierit. 30
25. Sattlerus, Carolus Augustus: De causis Constitutio-
nem principum in corrupta Christianorum disciplina. 31
26. Schmidius, Wolfgang Wenceslaus: De viri officiis.
late juri, iurandi 33
27. Schimmele, Benjamin Tranquill: De imputatione dolis
in directi 34
28. Stuckmann, Thymus Cornelius: Elector Fr. Georgius II.
Saxoniae et Rosaliae legislator. Programma, quo so-
lemnis doctorat in dicit. 35



1789.

- apri 29. Weine Anthonius Eversus: Pro die successu
in heredim jente senior Albertina
30. Wiedlerus, Augustus Adolphus: De quinquennalibus
et decennalibus imperatorum Romanorum.
31. Windeler, Carolus Gaspars, fons iur. procuratorialis
fac iur. ordinarius senior et claviger assessores:
chronatio XIII p. 5. ex adversariis iuris judiciale.
Programma, quo intenta Doctoria Christiani Henrici
Windeleri indicatur.
32. Windeler, Carol. Gasp. de: De jure iurando.
33. Windeler, Gaspars Hudonis: Tres exceptiones
non adimplenti contractus et praestandae evictionis
34. Windeler, Gaspars Hudonis: De praelectione judiciali
in testamento illiterati hand necessaria.



2. Eine sehr sorgfältig bearbeitete
Zeichnung zeigt einen kleinen
Lebewesen aus einer einzigen Zelle
mit zahlreichen Fortsätzen und
ausgesprochenen Zellvakuolen.
Die Zelle ist von einem dichten
Netzwerk aus feinen Fäden umgeben.
Die Zelle ist von einem dichten
Netzwerk aus feinen Fäden umgeben.
Die Zelle ist von einem dichten
Netzwerk aus feinen Fäden umgeben.
Die Zelle ist von einem dichten
Netzwerk aus feinen Fäden umgeben.
Die Zelle ist von einem dichten
Netzwerk aus feinen Fäden umgeben.
Die Zelle ist von einem dichten
Netzwerk aus feinen Fäden umgeben.
Die Zelle ist von einem dichten
Netzwerk aus feinen Fäden umgeben.
Die Zelle ist von einem dichten
Netzwerk aus feinen Fäden umgeben.

11857
1789.26.
D E V I
ET
EFFICACITATE IVRISIVRANDI

DISSERTATIO POSTERIOR.

Q V A M
ILLVSTRIS IVRISCONSVLTORVM ORDINIS
AVCTORITATE
PRO
SVMMIS IN VTROQVE IVRE HONORIBVS
OBTINENDIS

D. XVI. APRIL. CIOIOCCCLXXXIX

H. L. Q. C.

D E F E N D E T

ADOLPHVS WENCESLAVS SCHMIDIUS
ARTIVM MAGISTER.

LIPSIAE
FORMIS SOMMERIANIS.

DR. V. I.

HELVETIÆ LIBRARIJ

LIBRARIA HELVETIÆ

OLIVIA

LIBRARIÆ HELVETIÆ LIBRARIJ

AVOTORITATIS

LIBR.

CAVAM IN ATRIO AB HABE HONORIBAS

ORTINENDIS

DR. XAV. VAPP. CIC. CIC. CIC. CIC. CIC.

HT. 6. C.

OLIVIA LIBRARIÆ

VDOFLIAS. MNGESFVAS. SCHMIDIAS

VEGIA. MAGISTER.

FIPSE

LOKVIS. SONGH. H. L. T.

DE
VI ET EFFICACITATE IVRISIVRANDI
DISSERTATIO.

PARS POSTERIOR

QVAE DE VI ET EFFICACITATE IVRISIVRANDI IN
CIVITATIBVS EXPONIT.

§. I.

Instituti ratio.

Expositis superiori libello et explanatis iis, quae ad naturam atque efficacitatem iuris iurandi in statu hominis naturali pertinere videbantur, sequitur nunc, ut, quam vim illud potestatemque habeat in ciuitatibus, hoc quidem libello, paullo accuratius, paucis tamen, anquiramus. Quae quidem omnia quum fere pendeant ex voluntate



tate arbitrioque illius, penes quem potestas est ferendarum legum ciuibus: sane consentaneum erit, ut hoc ipsum ius legislatoris humani, ratione iurisurandi, altius indagemus. Atque in hac quidem quaestione quum res duae sint, quae cadere sub contemplationem videantur, tum ut generatim spectetur, quid principi liceat de iure iurando statuere; tum speciatim, qua illud vi possit et potestate augere: dupliciter in ea re tractanda versabimur. Primo enim, quatenus quibusue modis a principe possit iusiurandum imperari, videbimus: deinde, vtrum, quae in statu naturali nullae sunt, effectiones iuriurando tribui in republica possint, examinabimus.

§. II.

Iurisurandi in ciuitatibus utilitas.

Permagnō autem esse vnu posse in ciuitate iurisurandi religionem, aequo iudici et bene veritatem intuenti sponte, opinor, liquebit *). Vti enim leuitatem hominum atque malitiam saepenumero videmus a malefactis deterreri iis rebus, quae sub sensu cadere videntur, velut carcere, suppicio, id genus aliis: ita etiam eo, quod sensu non percipitur, recte poterunt improbi a fraudibus atque mendaciis arceri, ad verumque ingenue profitendum adigi cogique. Qua quidem de causa dubium non est, quin eo maiorem sacramenti religio vim potestatemque habeat, maioremque hominum vitae salutique utilitatem adferat, quo pluris nonnumquam ciuitati

*) Iurisurandi in ciuitatibus utilitatem, praeter Leys. Spec. 137. m. 2. impugnat Io. Gottfr. Steinbacher in lib. Flavius vom Eide. Lips. 1785.

civitati interesse manifestum est, ut verum aperiatur; praesertim quum saepenumero eueniat, ut, improborum artibus et libidinibus, vita proborum hominum facultatesque in sumimum discriben adduantur. Patet itaque, rectoribus ciuitatum ius esse potestatemque imperandi iuriandum, tanquam instrumentum erudiendi veri, in iis rebus omnibus, in quibus iure perfecto gaudent, professionem veri a ciuibus extorquendi*).

§. III.

De utilitate iuris iuriandi religionis speciatim differitur.

Sed competit ius illud imperantibus in iis causis omnibus, in quibus sit, ut ex mendacio hominum, vel reticentia veri laesio existat alterius, iurisue perfecti defraudatio; non item in iis, in quibus vel ex dissimulatione veri nil quidquam damni infligatur alteri, vel ex aperiendo vero in te ipsum aliquid retundet incommodi. Qui locus attingit quaestionem iam saepissime agitata, vuperrimeque denuo motam, et ab vtraque parte disputatam, de iure iuriandi religionis. Iam quum, quid verum censeas, quid non, quidue ad sensu tuo vel comprobes, vel reiicias, non a voluntate tua pendeat, sed ex argumentis momentisque rationum, quibus firmari quidquam poterit ac suffulciri: facile intelligetur, fieri non posse, ut quis ad certa quaedam veri genera amplectenda credendaque, sacramenti vinculo, adstringatur; quandoquidem

A 3

fidei

*) *Vermischte Abhandlungen über Gegenstände der Gesetzgebung und Rechtsgelehrsamkeit*, i. St. Leipzig. 1779.

[decorative horizontal line]

fidei ratio adhesionisque non in rebus versatur voluntati subiectis, sed soli menti atque intelligentiae propositis. Exinde autem non efficietur, ut, qui ad munera sunt publica accessuri, iureiurando nequeant ad faciendum promissum cogi, se nil quidquam, quod religioni publicae contrarium sit, sermonum opinionumque in vulgus sparsum. Id quod non iustitiae modo aequitatique, verum etiam sapientiae consentaneum videtur *). Quum enim in republica bene constituta permultum interst, ut cultus Dei publicus ad formulam certam, quaque normam instituatur; propterea quod humanarum legum fides atque auctoritas sanctitate et castitate religionis firmatur: sequitur, ut, qui eiusdem ciuitatis sunt, religionem publice receptam, quam profissentur, non possint turbare, quin ipsa fundamenta reipublicae concussa penitus et labefacta simul destruant atque evertant. Quamobrem, ut hominibus ad publica munera admouendis iureiurando caueatur, ne, opinionum publicae religioni aduersantium diuulgatione temeraria, saluti ciuitatis officiant, id erit in media laude et iustitiae, et aequitatis, et prudentiae **).

§. IV.

*) cf. HORNIVS in Iuris publici Prudentia c. LX. maxime, siens, interest principis, nosse, quid sentiant circa religionem, qui officiis prae-
ficiuntur, cur non licet, per iuramentum securum se hac parte reddere?
et cur quis defugiat, bona fide affirmare, et candide, quae sententia animo
baereat? Nemo enim ad hoc ius iuriandum vi compellitur: nec eo perti-
net, ut, si conscientia ad aliam sententiam impellat, prior mutari non
possit?

**) Egregie illius iurisiurandi indolem illustravit Generosiss. et S. V.
DE WINKLER, in Diss. de Iuramento religionis. Lips, 1783.

§. IV.

De formulis et ritibus iurisiurandi.

Iam utilitate iurisiurandi in ciuitatibus demonstrata, ostensaque potestate principum in iureirando quoad materiam spectato, nunc etiam, quoad in *forma* eius ius illis competat, paucis expediemus.

Ac primo quidem planum erit, formulam ab iis, qui clavum reipublicae tenent, iurantibus praecipi non solum licere; vorum etiam ipsis ciuibus maxime expedire, tum ut ad mentem eius, qui exigit, sacramentum praestari constet, tum ut occurratur calumniis, prauisque ac malitiosis verborum interpretationibus, vnde facile periuria possint fraudesque existere. Quoniam enim tribus modis efficitur, vt iurisiurandi vis atque natura absoluatur, et adseueratione religiosa, et Dei in testem invocatione, et vindictae diuinae prouocatione; facile intelligitur, maxime consentaneum esse, vt istae partes suis quaeque formulis certis atque perspicuis enuntientur.

Deinde vero et signis terror recte iurantibus poterit iniici, et ritus solemnes adhiberi, quibus religionis sensus in hominibus refocilletur, quibusque, qui sacramento fidem adstringere volunt, excitentur, vt defigant animos et intendant in ea, quae iuraturi sunt, atque ita a peierando cohibeantur. Id quod praesertim in plebeiiis

plebeis hominibus atque incultis subinde constat permultum efficer, ad verumque eliciendum conferre. Velut olim antiquiore aetate in consueto fuit, ut clericis pariter ac foeminis iuraturis codex noui testamenti in collum appenderetur, ita ut pectus congeretur codice, quem digitis impositis contrectarent *). Quae quidem consuetudo exsoleta dudum effecta, ut hodieque nostris foeminis ad sacramentum accendentibus non nisi tribus dextræ digitis ad pectus admotis iurare concessum videatur.

§. V.

Iurisurandi tamen in ciuitatibus nulla necessitas.

Quae quidem iurisurandi utilitas quam, ut hactenus ostendimus, permagna in ciuitatibus sit; tamen non tanta istius poterit euinci necessitas, ut eo prorofus nequeat careri. Quid, quæso, enim erit, quod cogat ut, verbi causa, iniurato testi nulla fides habeatur? Possunt sane cogitatione fingi plures modi, quibus ad officium aperiendi veri homines ducantur, velut ex metu infamiae, verum reticentem manentis. Sic v. c. cum BRUNNE MANNO **) plurimos admittere testes, licet iniuratos, in processu,

quem
Dicitur ab aliis
exordio
etiam
ad Iov. GYNDLINGIANA P. IV. n. 12 et IAC. FRID. LUD. 1702.
In hac Diss. de solemnibus iurament. Hal. 1702.
Liber
**) in Procesu Ciu. Cap. XX. n. 61.

quem dicunt, possessorio summarissimo, videmus. Quodsi igitur in hoc, missa iurisiurandi religione, iure fides testi tribui putatur: quid tandem impediet, quo minus etiam in caeteris causis homini concedere fidem iniurato debeamus? Posse autem et esse ciuitatem et stare iurisiurandi adminiculo carentem, Memnonistarum *) exemplo poterit doceri. Quoniam autem in ciuitatibus viuitur non cum perfectis hominibus, pleneque sapientibus: satius erit, iurisiurandi religionem in republica retineri; modo ne in minutis causis et leuibus adhibita frequentius nimium sacramenta augeantur.

§. VI.

De effectis iurisiurandi in ciuitatibus.

Pertractatis atque perpenitis, quae et materiam et formam iurisiurandi spectare videntur, nos nunc series orationis dicit ad consideranda effecta, quibus cum in ciuitate Dei destitutum sit, tamen possit in hominum congregationibus iuriurandum ornari atque augeri. Atque in his quidem quando vel exigi sacramentum possit, vel deferri, vel acceptari, vel referri, legibus definiri et poterit, et debet. In quibus quidem singulis, quid cum natura rei congruat, quid iustitia postulet, quid aequitati conueniat, quid suadeat prudentia, paucis nunc exemplis, pro consuetudine nostra, breuiter simpliciterque exponemus.

*) Quantum apud illos valeat dispensatio a iureiurando in Anglia ad servandam nudorum verborum fidem docet MICHAELIS im Mos. Recht Praef. ad P. VI.

B

§. VII.



§. VII.

De iureiurando deferendo exigendoque.

Quoniam autem varia inter homines geruntur negotia, quae, lite de iis orta, nec per testes, nec ex documentis, nec aliis probabilitatis argumentis doceri probarique possunt; adeoque causae maximopere sunt dubiae: in eiusmodi temporibus alteri ab altero et deferri sacramenta, et exigi, non modo licitum, verum etiam prudentiae admodum consentaneum videtur. Iam quia porro tempora incident, quibus fit, ut eius, qui petitur, obstinatio ac pertinacia grauior quaedam, reiue debitate quantitas obscurior iudici officiat, quo minus perspicere causam queat, de eaque sententiam pronuntiare: facile quoque intelligitur, posse sane reum ad praestandum iuriurandum *in infinitum cogi*; accedente tamen iudicis moderamine *). Maximum enim remedium, Caius ait **) expediendarum litium in vsum venit iuriurandi religio, qua ex auctoritate indicis deciduntur controvrsiae: Id quod longe fecus erit in transactionibus extrajudicialibus; quo in loco iuriurandum prorsus pendere ex arbitrio pacientis, inde manifestum est, quod omnino liberum est, cum altero contrahas, nec ne, ideoque vtrum, quod pactus es, iureiurando confirmes, an non, item etiam penes te esse debet.

§. VIII.

* J cf. G. L. BOEHMER Diss. de auctoritate iudicis circa iuriurandi delationem, Goett. 1767.

**) L. I. D. de iureiurando.

§. VIII.

De relatione iurisiurandi.

Quum iurisiurandi is finis, eaque natura sit, vt eo vel ius quoddam possit, vel obligatio firmari, sed neutrum in iudice appareat: item etiam planum erit, quotiescumque tantum ab una parte caussae fiat cognitio, iusiurandum nullo pacto posse referri; velut in caussis iniuriarum, in quibus fieri non potest, vt sciat petitor, quomodo adfectus fuerit animus eius, qui de contumeliis illatis petitur *). Ita etiam in caeteris caussis, in quibus fit, vt sponte, ex officioque, ad partes litigantes iusiurandum iudex defrat, id illi haud poterit referri; propterea quod non partes sustinet petitoris, sed ex edicto defert et lege principis.

Quamobrem tale iusiurandum necessarium dicitur, quodque vel petitori de caussa iusta sua praestandum est, vel ei, qui petitur, de exceptionibus iuste sibi relictis atque integris. Interim tamen saepe existunt caussae, quibus fiat atque expedit, vt is, cui iusiurandum delatum fuerit, iure possit alteri parti referre, ita tamen, vt super iisdem momentis, de quibus antea facta de-latio fuerat, relatio iurisiurandi fiat **).

*) cf. LEYSER Meditt. ad π. Spec. 139. med. 1. et 2.

**) cf. CHRIST. WILDVOGEL Diss. de relatione iurisiurandi Jenae 1696. et GE. ANDR. IOACHIM Diss. de referente iuramentum Lips. 1729.



§. IX.

De Purgatorio.

Pariter etiam sacramenti genus, quod purgatorium vocatur, vim salutarem noninunquam habebit tum in ciuilibus caussis et priuatis, tum vero etiam in publicis et criminalibus. Atque in caussis quidem ciuilibus haud iniuria locum obtinere poterit tum, cum ea pars, cui probatio incubuerat, illam non poterat, ne semiplenam quidem adserre: quo quidem tempore et aequitatis ratio et iustitiae videbitur postulare, vt ad partem alteram, quo illa fese periculo liberet, ac de suspicione purget, iusurandum deferatur. Id quod locum inuenire eo magis debebit, quo grauior in eum, qui ne semiplenam quidem probationem attulerit, aliqua cadat suspicio periurii: tum enim iustitiae aequitatique maxime congruum erit, vt altera pars ad purgatorium admittatur. Qui locus latius patet, ad pluresque solet referri: velut Iudaeum, quem, vbi tantum semiplenam probationem exegerit, a suppletorio recte excludi aduersaeque parti rite debere purgatorium injungi, grauissimi Iureconsulti argumentis firmissimis et subtilissimis euincunt *). Iam vero si tempus inciderit, vt is, qui semiplene probauerit, iurare tantum de credulitate possit, sed aduersarius de veritate: haud minus conuenienter videbitur, vt purgatorium suppletorio preeferatur.

In

*) V. BERGER El. Disc. for. t. 32. obs. aliisque, quos laudat Consultus, MALBLANC, in Doctrina de iurejurando. p. 480.

In caussis vero publicis et criminalibus si indicia relinquuntur proxima adhuc remouenda: item etiam purgatorii ratio locum iure sibi meritoque vindicabit. Quod vt reo tum ad ostendendam innocentiam concedi oportebit: ita etiam cuique, siue Christianus homo sit, siue Iudaeus, alias, si nulla res, summusue periurii metus impedit, recte debebit relinqui. Quaenam, quae, via poterunt, quae animo quis et conscientia tenet, nisi iurisurandi ope, probari?

Haud equidem ignoro, esse multos, in iisque viros summos et doctissimos, qui omnem iurisurandi purgatorii rationem in caussis criminalibus tollendam e foris, eliminandamque arbitrentur, in eiusque locum statim aut absolutionem ab instantia suadeant, aut pro re nata poenam extraordinariam infligendam; tum quod sacramento purgatorio manifestis periuriis occasio praebatur *), tum vero etiam, quod in eiusmodi caussis purgatorii

B 3 effecta

*) Ob periurii metum gravissime impugnat purgatorium CLAPROTH im peinl. Pr. p. 161. seq. verbis notatu dignis: Es ist nicht zu läugnen, daß, wer die Stärke des Triebs der Erbahrung und der Ebre nicht miskennt, der größte Verdacht eines Meineyds vorbanden ist, wann der Inquisit unter den beiden Sachen entweder eines schimpflichen furchterlichen Todes zu sterben, eine schwere schimpfliche Leibesstrafe auszufleben, oder einen Meineyd zu begeben, die Wahl hat. Komme noch hinzu, daß Inquisit ein rohr, keiner Empfindung von Religion fähiger Mensch ist; so wird die Gefahr noch stärker, und endlich steiger sie bis auf den höchsten Grad, wenn von Jugend auf eingefogene Grundsätze, welche die stärkste Gewalt haben, den Inquisit zu verleiten fähig sind, und dabin recke ich das ganze Volk der Iuden, welche nicht gar zu selten bey Verbrechen vorkommen. Oder bringen

[decorative separator]

effecta maxime exigua videantur *) A quorum quidem sententia
liceat mihi aliquantum dissentire. Quamquam enim non potest
negari, reperiri nonnunquam homines tam pertinaces atque ob-
stinatos, vt, quo salutem quaerant, nihil quidquam intentatum,
licet turpissimum sit, reliqui faciant; et proinde, si a poena se-
legibus constituta liberare queant periūio, peierare neutriquam
dubitent: tanta tamen vis religionis est, vt subinde videoas, in plerisque
vel pessimorum hominum, praesertim si, quae ad commouendum ter-
rendumque animum faciunt, solemitates adhibeantur, sensum pie-
tatis excitari, eosque ad confessionem criminum adduci, iam, quod
experientia saepius edocti nouimus, nonnunquam potest accidere,
vt innocentissimus quisque in suspicionem criminis atrocioris vo-
cetur, cui quidem si non concessa via sit, iureiurando notam igno-
miniae culpaeque suspicionem defendere, potiusque poena illi ex-
traordinaria debeat irrogari, efficietur sane, vt maxime impingere
contra iustitiam videaris. Quamuis autem largiar, exigua saepe
videri, quae ex purgatorio nascantur, effecta: tamen eo, quae alias
nulla esset, aliqua certe salus insonti paritur, ita, vt praeclare actum
secum reputet, si hoc modo ab iniusto poenae metu liberetur.
Verum in plerisque caussis is purgatorii fructus, talisque illius
eventus erit, de quo is, cuius vita vel fama temere erat in summum
discrimen adducta, vehementer sibi sentiat gratulandum.

§. X.

[decorative separator]

bringen es die Religionsgrundsätze mit sich, daß die Sünde eines Meineydes
durch Beichte, Pönitenz, Ablass, gute Werke u. s. w. wieder gut ge-
macht werden könne, so kann der Inquisit fast ohne Bedenken den Reini-
gungseyd abschlußieren etc.

*) cf. MALBLANCIVS l. l. p. 483. sq.

~~██████████~~
§. X.

De suppletorio.

Iam vero in sacramentis necessariis, hoc est, iis, quae ad partes deferuntur a iudice in caussis probatione plena destitutis, id quod *suppletorium* appellamus, haud temere videtur ex iure ciuili et canonico insora nostra transisse*). Quamquam enim, quae testimoni aduocatione efficitur, probationis ratio naturali iure nulla videatur: iure tamen ciuili recte poterimus, si proprii argumentorum fontes occlusi sint, testimoniorum ratione vti, et proinde etiam, si iustus testimoni numerus haud appareat, ad supplendum testimoniorum locum, vere poterit sacramentum adhiberi, ita tamen, si, quae manca adhuc erit imperfectaque, in probatione nota veri quaedam, ut aliquantum obscurior, latere videatur. Qua quidem in re permagna adhibenda cautio erit, neque latius, quam par est, ad omnesque caussas istud debet extendi. Neque enim temere illi, qui ex inopia probationis laborat, hoc suppletorium decernatur, sed inspectis demum perpensisque et personarum et caussae locis atque temporibus, et rationibus maximis atque grauissimis reperitis. Nam non debet ferri ad homines vel periurio suspectos, vel adeo infames, sed ad eos solum, qui digni fide putentur, quique veram rei notitiam aut habeant, aut habere possint, ideoque de ipsa veritate iurare. Quodsi autem ad omnes omnino caussas, nulla discriminis ratione habita, transferatur; permagna sane fenestra aperiatur tum prauitati atque libidini malorum et imperitorum iudicium

cum

* cf. MAUBLANC I. l. p. 258.

—

cum, tum improbitati atque malitiae hominum temere litigantium; propterea quod vnius testis facile mutari fides poterit, ac largitione corrumpi. Accedit, quod videoas, nonnunquam tempora incidere, quibus valde inutile sit iniustumque, si testium inopiam sacramento iudex decernat supplendam resarcendi amque, tamquam in caussis arduis et criminalibus, in quibus de capite et fama alterius agetur *).

§. XI.

De probatione pro exoneranda conscientia.

Quae quidem omnia planum faciunt, in caussis, quae non nisi iure iurando vel necessario possint vel voluntario expediti ac dirimi, vt sacramentum delatum declinetur, haud debere concedi; propterea quod hoc modo non potest non in infinitum res excrescere atque dilatari. Id quod neque iustitiae consentaneum videbitur, et publicae rei maxime contrarium. Quo circa, qui iurare iussus, probationem pro exoneranda conscientia suscepit, nec inde tamen quidquam, quod liqueat, in medium attulerit, illi iure meritoque ad sacramenti rationem regressus omnis occludetur **); licet nec desint, qui eum saluum esse debere arbitrentur ***).

§. XII.

*) cf. STRYBEN *reclit. Bed. P. I. n. 135.*

**) IO. GOTTFR. BAYER *de probatione pro exoneranda conscientia,* Lips. 1753.

***) Martin. Iac. Faber de eo, quod iustum est, si conscientiam probatione defensurus in probatione descerit. Goett. 1775.

§. XII.

De iure iurando credulitatis.

Ac de negotiis quidem, quae ipse neque adspicu percepis, neque auditu cognoveris, quibususc haud interfueris, nullus esse posse locus videtur, deferendi, quod de *credulitate* dicitur, iuris iurandi. Nulla enim vñquam ratione doceri poterit, in causa, cuius ne minima quidem ad te notitia peruenierit, de qua proinde nil quidquam liquido queas statuere, vel ad iudicis partes obeundas, vel, eas si recusaueris, in aduersarium transferendas, temet teneri. Ex eo enim, quod dubites, itane an secus, atque dipingitur, res comparata sit, effici non potest, vt validum quoddam firmumque argumentum emergat. Hinc itaque itidem etiam apertum erit, in negotiis vel a maioribus gestis, vel a pri-
flinis possessoribus eius rei, in quam nunc ius quoddam nobis competit, vel ab iis denique, qui ea nostro nomine ex mandatis curarunt, et quorum veritatem ex variis rationibus adserimus, vt de credulitate iuremus, nos quodammodo posse iuberi. Contra ea vero, si de factis disceptabitur, quae haud ipsi suscepimus, quorumque ad nos nulla proxime experientia redundauerit, nullam esse vñquam de *credulitate*, sed de sola *ignorantia* iurandi copiam posse, perspicuum videtur *).

*) Jo. Gottl. Reichel Diff. de vera iuramenti credulitatis natura et indeole,
Lipſ. 1725.

C

§. XIII.

§. XIII.

De obligatione heredum ex defuncti iureiurando.

Hinc itaque apertum erit, ex iureiurando defuncti heredes obligatos teneri, quatenus is fidem antea datam illo adstrinxerit. Heredibus enim ius omne suum competit ex iure defuncti. Quodsi itaque in homine demortuo ius, cui interposito iureiurando renuntiauerat, iam fuit extinctum: fieri non potest, ut amplius transeat ad heredes, qui potius obstruxi erant, ad id, quod defunctus pactus esset, iurassetque, efficiendum atque implendum. Sed nulla in herede haerere culpa poterit peririi, eo quod sacramenti religio ad homines singulos pertinet, cui si vitium inest, fieri non potest, ut eius culpa in alterum transferatur.

§. XIV.

De absolutione a promissis iuratis.

His itaque constitutis, nunc facile intelligetur, quid moderatoribus ciuitatum statuere liceat in debitoribus a promissis iuratis absoluendis. Namque fieri non potest, ut in statu ordinario et pacifico, quod ex iureiurando cuiquam accreuerit, ius perfectum ab legislatore suspendatur ei, nedum prorsus admatur. Contra ea vero si singulorum ciuium utilitas priuata, cum publica vniuersorum salute in contentionem comparationemque venerit: tum sane nihil

nihil erit, quod impedit, quo minus in communem reipublicas
vtilitatem singulorum hominum priuata commoda negligantur.
Velut si in prouincia diuturnis bellis exhausta atque confecta debito-
ribus certum saltē temporis spatium concedatur, quo demum
elapso ad alienum aes iuratum cogi possint soluendum.

§. XV.

De cautione adhibenda in usu iurisiurandi.

Ex his igitur omnibus, quae de vi virtuteque atque efficacia
iurisiurandi in ciuitatibus haſtenus disputauimus, maxime elucet,
vſum illius in republica valde salutarem esse. Sed inde etiam porro
efficitur, vt in imperandis deferendisque iuribus iurandi cauti
maxime et prouidi versemur, nec vlli facile, nisi ei, cui aliud veri
vadimonium desit, concedamus. Quamobrem qui vel ob aetatis
cognitionis defecum, vel aliis quibusdam cognitionis impedimen-
tis laborant, velut ebrii, furiosi, mente capti, summa animi per-
turbatione correpti perculsique, a iure iurando debebunt arceri.
Ac simili in vitio sunt, in quibus liberae voluntatis confususque
nota desideratur, vel cauſa adparet rectae cognitioni officiens, vt
error, dolus, metus, et quae sunt de genere eodem, quibus etiam
praefitum iuriandum fit vt vitetur *). Tum ii denique, qui

C 2

instru

*) cf. I. C RITTER Diff. de Iure iurando, dolose elicita, non feruando
Ien. 1742. et Petr. Herm. Becker de iuramento in primis metu extorto
Ien. 1755.

instrumentis loquela ad declarandam animi sententiam; vel percipiendum id, quod ab iis exigitur, necessariis destituuntur, neantiquam sunt ad iurisiurandi rationem admittendi. Qui locus spectat potissimum mutos surdosque, et utroque vitio laborantes, qui quamvis non simpliciter sint absoluteque a iureiurando arcendi, tamen permulta adhibenda cautio erit, diligenterque scrutandum, num signis indubitatis queant animi sensum docere, graduae intelligentiae et cognitione de iureiurando sufficienti appareant instruti,

§. XVI.

De poenae periurii.

Neque vero iniuria, quo sanctum et inuiolabile redderetur insurandum, maiores poenam statuerunt periurio, ita tamen, ut aliquantum rigidiores in ea re versati viderentur. Nam quod ab scissionem digitorum duorum, quibus eleuatis solet iurari, decernerent *), in eo paullo iniquiores fuisse mihi quidem videntur. Rectius periuro infamiam cum priuatione omnium dignitatum, quam vulgo infamiam iuris dicunt, infligi **), condemnationem duorum aut trium annorum ad ergastulum, ita tamen, ut antea in loco publico cum indice delicti commissi scripto ad palum infamantem exponatur, decerni *** voluerunt,

§. XVII.

*) C. C. C. a. 107.

**) BOEHMER ad CARRZ. Qu. XLVI. Obs. 2.

***) QVISTORV. *Versuch einer richtigen Bestimmung des Verhältnisses der in Teutschland üblichen Strafen gegen einander.* P. II. p. 26.

§. XVII.

Peroratio.

Verum paucis his propositis, quae de vi virtute, atque efficiacia iurisiurandi ciuitatibus, speciminis loco, peculiarem libellum de singulis iurisiurandi speciebus, earumque in foro Saxonico vsu propediem edituri disputauimus, nunc me, quem mea mihi natura tribuit, pudor admonet, vt, si quid peccatum a me fuerit, aut in diffuso hoc argumento omisum, de condonanda venia humanitatem lectorum implore. Neque enim is sum, quem et virium suarum tenuitas fugiat, et eruditionis, si qua modo sit, mediocritas. Cui si adieceris, quod arctissimis libelli academici limitibus circumscripsi teneremus, variisque negotiis valde distracti, dum ista conscriberentur; neque quemquam quidquam fore adeo ad viuum refecaturum, et aequi potius bonique iudicaturum, videmur nobis persuasi,

COROLLARIA.

I.

Ius principis sacrorum est pars summi imperii.

II.

Poenae capitales in republica bene ordinata videntur esse necessariae.

III.

Vsucapio fundata est in iure naturae.

Leipzig, Diss., 1789 P-Z


X 241 7829

VD 18

ULB Halle
006 383 351

3





EFFICACI
VRANDI

ILLVSTRIS
ORDINIS

SVMMIS IN
NORIBVS

ADOLPHVS
HMIDIUS

F O R

I S.

